



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

163 Priora posterioribus derogantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

per eadem, *capit. 7. & Canon. 11.* à sacra congreg. concil, decifum, *ut in decif. incip. regulares per privilegium, & alia decif. incip. mendicante vigore, & alia incipien. Confessores vi privilegiorum fuerint, & nunc per dictam constit. est omnis difficultas sublata, ut in §. decernimus insuper.*

161 Tertium requisitum est, † quòd privilegia non fuerint revocata, nec sub aliqua revocatione comprehendantur. Plura enim privilegia regularibus super absolutione in foro pœnitentiæ concessa fuerunt pluries revocata, quia præter alias revocationes, quæ infra apparebunt, nonnullæ facultates absolvendi duellantes, consiliumque, auxilium, favorem illis præstantes, est revocata, & soli Papæ reservata, *ut in Bull. Rom. IV. cap. 25. Greg. XIII. cap. 82. & Clem. VIII. ut in const. de anno 1592. 16. Kalen. Septemb. edita, & concil. Trident. c. 19. de reform. sess. 25.*

162 Facultas etiam † absolvendi moniales exeuntes à clausura, & personas ingredienti- entes eandem clausuram sine licentia, & absque urgenti necessitate, & causa, fuit etiam revocata per conc. Trid. *ut in c. 5. de Regul. & monial. sess. 25. Pius V. in Bull. Rom. c. 100. & Papæ reservata Greg. XIII. in cod. Bull. Rom. c. 36. & nuper per eandem Const. ut infra.*

163 Sed quæri potest, † an per reservationem, vel confirmationem privilegiorum, quæ pluries, & à pluribus Pontificibus religionibus, aut aliis supplicationibus cum clausulis amplissimis fieri, & concedi solent, contendantur omnia in illis primò existentia innovata, non obstante in contrarium alias concessis, & videtur ita esse. Nam innovando, seu confirmando privi-

legia antiqua, videntur ea à die datæ litterarum innovationis, seu confirmationis, pristinum robur, & vigorem assumere, & tunc tanquam posteriora, prioribus in contrarium facientibus derogare præsumuntur, *ut per gloss. fin. in c. 1. ubi Dodo. de respon. rescript. & Jak. in l. pacta novissima num. 3. C. de pact.*

164 Totus † tamen litterarum renovatio- nis, seu confirmationis est tenor inspiciendus, regulariter enim confirmationes privilegiorum conceduntur sub expressa limitatione, dummodo sac. conc. Trid. decretis non repugnent, sint in usu, & sub aliqua revocatione non comprehendantur, *ut alibi diximus. Quo casu, quæ minime sunt in usu, decretis, concil. Trid. repugnant, & quæ fuerunt revocata vigore clausularum generalium, non innovantur, nec confirmantur.*

165 † Sed tantummodò cœteræ usu receptæ, aliàs non revocata, & quæ sac. conc. Trident. decretis non repugnent, confirmantur. Quia limitata derogatio, limitatum producit effectuum *l. in agniff. de acquir. rer. dom. l. age, C. de transact. Cephal. conf. 117 nu. 4. par. 1.*

166 Insuper † eadem constitutione expressè prohibetur, ne iidem confessarii prædictos confratres, cujuscunque status, gradus, conditionis, & præminentia sint, etiam si speciali nota digni fuerint, à calibus contentis in litteris, quæ in die Cœnæ Dom. legi consueverunt, nec non violationis, immunitatis, & libertatis ecclesiasticæ, & clausuræ monasteriorum monialium, si videlicet, sine necessaria, & urgenti causa, ac sine superiorum licentia, vel etiam si causa, & licentia abutentes prædicta monasteria ingressi fuerint, nec non † vio-

lentas